reçu le 6. Xbre. 1760.

Conamur Tenues grandia " – hor –

Tractatus
De Methodo Speciali Curationis erysipelatis "

indicationes " Ut, erysipelatibus Medeatur, Chirurgia, Multiplex occurrit indicationum genus, quibus faciendum satis, alia, Causam proximam, Morbum alia, Simptomata et alia spectat; Causa proxima omnium est prima –

Causa " Luxurians est, Sanguinis, Seri, aut Cujusvis alterius humoris vitiosi Colluvies, quæ Cutis partes opplet vasa Dilatat, Vicina Comprimit; acerrimus est humor, et acredine quæ Sua est, Membranas, Nervos, fibrasq. vellicat, pungit Cum acri Dolore, inflammat ignem, intus ardere jurares; . . . .

ex affluxu acris et Causticæ Colluviei, vesicas attolli videas, seu, phlyctenas interdùm gangrænosas quæ Cutim ab epidermide Dilacerando Cruciatus edunt ineffabiles; – – ———

Morbus " Si, Morbum, Causa, Sive interna, Sive externa produxerit, Si quæ Magna Sit inflammatio partis Calore, ac eretismo Cordis, et arteriarum Motus acceleratur, æstus in Toto Corpore, tandem accenditur febris; Si Stasis Sanguinis fuerit, Non solum in arteriis Lymphaticis, Sed, etiam in finibus Sanguinearum arteriarum, Si inflammatâ Cute Tumeat Textus Cellularis Sero Multo Madidus, Si Crassâ Lymphâ, Turgentes glandulæ induresçant, uno verbo dicam, Si erysipelati, vel phlegmo, vel œdema, vel Schirrus Conjungantur, hisce Tumoribus peculiaria Simptomata ignis Rosaceus mutuatur. Si. Tenuis, Diluta, penetransq. fuerit erysipelatodes Saburrha, permeat Lymphatica, Sanguifera Subit, aliam partem aliquandò Remotissimam, Breviter inflammaturâ; –

Simptomata " Quam plurima Sunt erysipelas Concomitantia Simptomata, horum alia Sunt essentialia, alia accidentalia; . .

Quæ erysipelati essentialiter annectuntur Simptomata Sunt Tumoris extensio, Color ex flavo purpureus &c –

Quæ in erysipelate accidentaliter prodeunt phenomena Sunt febris inflammatoria, pustulæ, Modò Sanie, Modò ichore repletæ &c –

Prognosis

De quocumque erysipelate idem ferri judicium non arbitror, cito facilé simplici naturæ motu sanatur quod simplex est, atque causæ externæ effectus; si leve, et, si vitio humorum rerum non naturalium abusui, exsuperanti bili debeatur, et, si febrili motui societur in ejus paterâ, sané nusquam periculosum, est habendum, quamdiu exteriùs ardet, quamdiuque rectâ Therapëiâ instituitur. periculosum cujus superficies pustulis, aut, vesiculis exasperatur; periculosius, quod ulceri, vulneri, luxationi, atq fracturæ supervenit; periculosissimum quod exulceratur, virulamque materiem suppeditat, omnium pessimum, quod indoles livescit partis étenim, gangrænam, et, mortem significat;

iis omnibus erysypelatis speciebus, ea est sané medela quærenda, quæ minimé noceat, adeóque id medicamenti genus debet respui, aut saltem pro nullo haberi, quod sæpissimé noxium ac perniciosum, aut parúm utile, aut nunquam necessarium;

in omni morbo causa oppugnanda est, et si fieri potest expugnanda, nulla, igitur, erysipelatis sanatio, nisi à cognitâ priùs, atq. impugnatâ illius causâ;

Curatio

ea est in curando erysipelate instituenda Therapëia quæ fervidiorem, citatioremque humorum motum compescat, quæ materialem morbi causam, bilem scilicet amoveat, quæ tandem materiem stagnantem resolvat, ac, expellat:

ineunte, itaque, morbo, dieta tenuissima instituenda, jusculа, in quolibet trihorio ex pullo gallinaceo, et, semine melonis confecta pro omni alimento, serum lac clarificatum identidem, aqua graminis, aut radicis fragariæ pro potu ordinario exhibenda. venæ sectio celebranda, é brachio, si inferiores é pede, veró, si superiores partes erysipelas obsideat, atq. ea iteranda est, si fas sit, donec simptomata remiserint;

Sedato Solidorum erethismo, Restitutoque Secretionum ordine, quam Citissimé ad evacuantia Recurrendum; hîc, elucet potissimùm Medici Sagacitas; Nocet etenim, in præscribendis evacuantibus Nimia festinatio, Nocet, Nimia Cunctatio; furiunt omnia atque exacerbantur, si præcipitantiùs perennantur; retrudescunt, si Tardiùs agatur; ....

Functiones restitutas indicant æstus minor, pulsus Mollis, Lingua humidior, urina Naturali Similior; his observatis, aqua Stibiata, vulgó, Mineralis Dicta, præscribenda est sub formulâ sequenti;

℞ " Tart. Stib " .. gr " IV " ....
Solubilis ... ℨ ij " ....
Dissolv. in aquæ Communis ℥ viij " ....
Fiat aqua Mineralis pro Dose Duplici; —

Si prima Dosis sufficientem Materiæ quantitatem vomitu expulserit, Altera in aquæ Communis Libram unam extensa, atque in quatuor Doses Divisa, sedato vomitu quâlibet horâ exhibebitur; hæc, vomitui suscitando impar Cathartici vices geret; - si é Contra, prima Dosis Nullum, vel Modicum effectum produxerit, altera, elapso post primam Dosim uniùs horæ intervallo, haurienda; ......

in Curando erysipelate, Nihil emesi feliciùs succedere me pluries Docuit experientia; ----—

ejus utilitatem, atque, præ Cæteris quibuscumque Medicamentis, Nemo præstantiam Non agnoscet qui, emesi, ventriculum, efficaciter expurgari, Lentescentem ex hepate, Stagnantem ex Cystide felleâ Bilem exprimi, Liquida in universo Corpore alteri attrita Diaphoresi, atque Diuresi expelli Citó perpenderit; ..

Postero Die, Catharticum sequens præscribendum;

℞ " Follic. Senn. ℨ ij "
Sal. Glaubert. ℨ ij "
Tamarind. ping " ℥ j " ...
Bull. in Decoct. Borrag. ac Buglosss. ℔ ij ad ℥ xij " Dissolv. Mor. Calabr. ℥ ij ..
Tartar. Stib. gr " j ....
Cola, F. apozem, purgans pro 3plici Dos. alternis horis hauriend; —

si postea, Bilis prædominium Demonstrent oris Sorditiea, ac, amaritiea, Dejectionea Biliosæ, — urinæ rubræ; Corporis habitus subflavus, ægroti — Constitutio Biliosa, eodem Cathartico alterniæ — Diebus pluries utendum erit; - - - - - - - -

Pendet, igitur, erysipelatia Curatio, à venæ Sectionibus, Diluentibus, purgantibus, et vomitoriis; - - - -

Quid procurando huic Negotio accommodatum — magis, quam emetico-Catharticum; hoc Duplici — artis præsidio, utrisque antecedenti, scilicet, et, — Conjunctæ prospicia Causæ; - - - - - - - - - -

per emetico-Catharticum, expurgantur ventriculus et, intestina, vasorum infarctus Tolluntur; expurgatis viis, meliùs sese habent fluida, solida roborantur; hinc, Coctiones, secretiones, et, excretiones Restituuntur; - —

Cathartici, acria Mulcentur, salina invertuntur, et qui prædominium sales obtinent in neutros Convertuntur; -

emeticis, Dum hæret in Capillaribus vasis Lympha — viscidior, Concrescentes succi premuntur, Moventur, hinc, indè pelluntur, atteruntur, Dividuntur; — fluidiores evadunt; emeticis, Concutiuntur Nervorum — genera, illâ Concussione aguntur subcutanei humores — eó Modo, ut, ab eorum Centro ad Circumferentiam — Boniæ ægri rebus propellantur, exhalent; - - —

pauló post, patentiores fiunt Cutis pori proindeq. — Minor adest fluidis appellentibus Resistentia; —

ea sunt interna Remedia quæ erysipelatibus — Majorem afferre possunt Commodum, Non sanè Negligenda Topica quæ Multi Reformidant; -

À primâ Morbi invasione ad simptomatum — remissionem, ea sunt in usum advocanda Topica, quæ „ 1° „ partis æstum Temperent; quæ, 2° Materiem — inflammationis paululùm Resolvant; - —

Cauté, vitanda sunt Lenta quæcumq. et pinguia — quæ partis affectæ perspirationi Nocent; - - - -

his applicatis, Brevi Tempore, Mutaretur erysipelas in sphacelum, et Gangrænam, Major suscitaretur febris, grandioraq. Sævirent simptomata; - —

Pravorum hujusce externæ Therapëiæ effectum multa apud authores exempla Referuntur; - - -
Sic, De eâ effatur Chamædrisis, â pingui, atque oleo veluti, â Cane, et, angue, Caveto. pinguia, Nam faciunt Carnem videri perustam, Nasceturque ulcus quod Cacoëtes erit; - -
partis affectæ ardorem reprimunt, aqua Stillatitia Sperniolæ, Malvæ, Bismalvæ; oxycratum Cum aquæ Communis sex partibus, et unâ aceti paratum. —
Folia Raphani silvestris, fibris attritis Calidiùs Cute applicatâ Dissolutio Sacchari Saturnini; —
Temperant, et, resolvunt simul aqua stillatitia, vel levis infusio Salviæ, florum Sambuci, Meliloti, Chamæmeli, Semper vivi, Rosarum, &c - - - - - - - - - - - -
his peractis Tertia superest indicatio adimplenda Resolvenda, Nempè, ac expellenda inflammationis Materies, quod internis, et, externis absolvetur medicamentis;
externa Medicamina sunt vinum album Cum aquâ Sambuci maritatum, Dissolutio Saponis veneti, in aquâ Chamæmeli, Decoctum, myrrhæ, et, olivarum in vino, et, aceto, farina Tritici, vel, hordei Sacculo inclusa, Decocto quodam Resolventi imbuta, atque sunt Topica parti affectæ applicata; - - - - - -
interna Medicamina sunt Succi Depurati, Cerefolii, Borraginis ad uncias Tres, quolibet Trihorio, Cum Syrupi Kermesini, vel, papaverum Rhœados semiunciâ, vel, unâ unciâ, Leve Decoctum radicis Cardui Benedicti, vel, Scorsoneræ, aut infusum florum papaveris Rhœados pro potu ordinario; Opiata Serò parcâ Dosi exhibita, his autem, si pars affecta Livescere videatur, Citò abstinendum; - - - - - - - - -
Si erysipelas pustulosum fiat, aut, vesiculosum, eò, Collimandum est, ut, Nempè exsiccantibus, atque Resolventibus ulcus præcaveatur; - - - - - - -
in hunc finem Laudatur sequens unguentum —

℞ " Olei Rosacei " ℥. IV " Thuris " ℥ij "
ung " Rosarum; ℥. j. ß " . Cerusæ " ℥vj "
Litargiri-puri, et Argenti " ana " ℥. ß "
Succorum Sempervivi Maj- et, plantaginis, ana ℥. ß "

hæc, omnia agitentur per Duodecim horas in mortario plumbeo, Cum pistillo plumbeo, atque fiat unguentum quo pars affecta inungenda est; - - - - - - - - -

Si erysipelas in ulcus Degeneraverit, eadem ac in pustuloso adimplenda est indicatio, verum Remediis efficacioribus, ac, Medicamentis utendum, - - - - utile erit sequens Linimentum -.

℞" Sommitatum Succorum Rupi } ana ℥ j"
Solani, }
Olei Rosacei, ℥ ij" aceti paululum, .
Cerusæ, Lytargiri auri " āā ℥ j. ß "- -
Fiat Linimentum in Mortario plumbeo - - - - -

Laudatur à pluribus sequens unguentum, quod Me Docuit experientia sanandis quibusd. hujusce generis erysipelatibus; -

℞. Trochisc. alborum Rhasis } ana ℥ ß . .
Tuthiæ pparatæ, }
Lytargiri . . . ℥ j. ß. " Cerusæ, ℥ ij " . .
Florum Sulphuris. ℈ j. Camphoræ. gr. xij
Olei Rosar. " ℥ j. " Ceræ albæ. q. s. " .

his Diu Tritis perfecté Commixtis, atq. Levigatis in Mortario plumbeo unguentum fiat, - . . .

in eosd. effectus præscribi possunt, unguentum nutritum, album, Rhasis, Dessiccativum Rubrum &cc. -

Verum, Medicamentorum, omnium energiam, quandoq. Morbus superat, Tanta equidem est sæpiús Causarum intensitas, Tantaq. inflammationis Materies, ut quáquáversum, glissens, vicinas partes inundat, obvium est Corpus Cellulare, Texturâ Molle, Materiâ inflammabili, Turgidum, vasis sanguiferis, Lymphaticis, utriusque generis, nervisque ubicumque Donatum; - .

Quam facilé in Morbi Consortium Trahatur quantorumq. futurum sit sedes malorum Non videt, eó Reipsá semel accenso, exacerbantur omnia Continuo Liquidi appulsu, stagnantis attritu ac rarefactione pars magis, ac, Magis inflammatur,

eo usque Tandem vasa infarciuntur, ut atoniam —
Contrahant, Nervi Comprimantur, atq. resolvantur,
Liquida omni modó Stagnent, ac, Tandem putrescant;
Mollescit, Tunc pars, Livetque, hebescit Sensus —
verbó, fit gangræna, pedententimque Siderationem
prænuntiat, quæ pejus, Terribiliusque Nihil —
partibus, enim, emortuis ad vitam regredi nefas; —
Genericæ, Tunc Non Sunt indicationes adimplendæ
in Curando erysipelate, Sed equidem in Curandâ —
gangrænâ, ut Nempé, eâ imminente actio partis
organica, quam fieri potest efficacissimé resoscilletur,
eâ, veró, Confirmatâ, ut mali progressus præcaveatur,
atque Cadaverosarum partium à viventibus Separatio
obtineatur, ut Tandem putrefacta, Si quædam Spes —
Salutis affulgeat, ferro, quam Citissimé Sanæ partes
putredine Liberentur, ...
hos omnes effectus in quibuscumque gangrænis
eadem Therapeia producendos, ne Credideritis, varianda
Medendi Ratio, pro variâ Morbi indole, et pro —
Causarum gangrænas remoté producentium Diversitate; . .
intus Medicamenta Sunt adhibenda, quæ Sopitas
aut, ægrotantis vires Languentes resoscillent, et quæ —
Lenté Sanguinis Serium Crasi medeantur, qualia Sunt; .
antiscorbutica, in juseulo Cancrorum fluviatilium
aut, viperæ infusa; . . . .
extus attendendum Cauté, Ne Substantia, quæ —
vita defraudatur, putrefiat, Cum invasuræ putredinis
prodeunt indicia, pars igne, aut Causticis Comburenda;
Topica applicanda Sunt Spirituosa, Stimulantia,
ammoniaco Sale aculeata, escarra, quâ Superficies —
obducitur, Scarificanda, ut facilior Topicorum particulis
ad partes viventes pateat aditus, Substantiæ —
emortuæ Separatio, imó, et, expulsio Naturæ Committenda;
Si institutæ hujusce Therapeiæ gangræna quævis —
vim eluserit, et, Si ab his Suprà Dictis Medicamentis
Morbus Non Debellatur, De ægro Conclamatum est; .

Par m. Villiers, maitre es arts et en chirurgie, à sens.